

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8469

Auteur(s) : Guillaume de Semilly [particulier]

Bénéficiaire(s) : Aunay-sur-Odon, Notre-Dame d'Aunay (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1196

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Donation de Guillaume de Semilly, et délimitation avec l'abbaye

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Le Hardy Gaston, *Étude sur la baronnie et l'abbaye d'Aunay-sur-Odon*, Caen, H. Delesques, 1897, Pièces, n° 13, p. 275-278.

Dissertation critique

Le Hardy indique la source de son édition « Arch. du Calv., F. d'Aunay, n° 16 » (p. 278), ancienne cote des archives. Les Archives du Calvados conservent un acte du même auteur et de la même année sous la cote H 778, sur lequel est inscrit une cote « 16 » (SCRIPTA 9623), mais il est très difficile de penser qu'il a réalisé sa transcription d'après ce manuscrit puisque le texte édité par lui et les témoins indiqués sont très différents que ADC H 778. Il est possible que Le Hardy ait transcrit un autre acte aujourd'hui disparu.

Texte d'après a

Notum sit presentibus et futuris quod Ego Willelmus de Similleio assensu et voluntate fratrum meorum Jordani, Gaufridi, Enguerranni, Ricardi, anno ab incarnatione Domini Mo. Co. XCo VIo dedi et concessi Deo et Stæ Mariae de Alneto et monachis ibidem Deo servientibus pro salute anime mee et patris mei et matris mee et omnium antecessorum et successorum meorum, totum dominicum meum quod habebam inter montem de Lenke et vivarium monachorum, sicut via que descendit de monte Lenke per retro hamellum quod dicitur Riboleria ad domum Rogerii Cohorde et usque in rivulum qui ibi eum disternat, Et exinde sicut idem rivulus descendit usque ad caput masnagii Neuohet, exinde vero sicut clausura monachorum probat que descendit in vivarium ipsorum, cuius vivarii placeam antea eisdem dederam monachis, ad cuius calciatam molendina Fullerez (foulerie) vel Tanerez (tannerie) licet monachis fabricare, ita libere et quiete quod nullus in parrochis Alneti et Baukeii opus fullonis nisi in molendinis monachorum facere poterit. Licet etiam predictis monachis piscariam suam in loco competenti construere. Dedi etiam prenominatis monachis unam acram terræ quæ fuit de feodo Hugonis de Molendino pro qua idem Hugo equivalent excambium de dominico meo accepit. Que videlicet acra terre sita est inter terras que fuerunt de feodo Godefroi Mire. Ea vero ratione id actum est quod sedecim acras et dimidiam predicte terre extra placeam vivarii dictis monachis pro escambio decime molendini mei de Alneto, quam decimam antecessores mei jam nominatis monachis in perpetuam contulerant elemosinam, assignavi. Reliquum vero predictæ terræ in puram et perpetuam pro anima patris et matris mee assignavi elemosinam. Concessi etiam conventionem que facta est inter dictos monachos et Hugonem de Molendino de terra quam habent ab ipso Hugone

infra clausuram suam. Ex altera vero parte dicti vivarii dedi prenominatis monachis totum dominicum meum et totas terras quas tenuerint de me Herneisius filius Willi. de Broil, et Rogerius Heremita, et Hugo de Molendino, et dimidiam acram terre Ranulfi Le Mansel a capite calciate dicti vivarii usque ad territorium Sti Georgii, sicut clausura monachorum disterminat per retro masnagia que fuerunt Herveisii [sic, Herneisii ?] filii Willelmi de Broil, et Rogerii Heremitæ, qui videlicet Herneisius et Rogerius et Hugo et Ranulfus equivalens escambium de dominico meo ad voluntatem suam et ad approbationem legalium hominum meorum acceperunt. Et sciendum quod communis via extra clausuram monachorum erit a capite calciate jam dicti vivarii usque ad viam que tendit versus hamellum quod dicitur Le Maneir. Dedi preterea jam nominatis monachis subtus calciatam vivarii ipsorum, totum dominicum meum et totam terram que fuit Ranulfi Le Mansel inter cursum aque que defluit de piscaria predicti vivarii, et antiquum cursum Oudonis, usque ad illum locum ubi due aque conveniunt, pro qua terra idem Ranulfus equivalens escambium de dominico meo accepit alibi. Addidi igitur huic donationi mee unum pratum quod fuit de feodo dicti Herneisii situm extra clausuram monachorum inter terras ipsorum, pro quo accepit idem Herneisius a me equivalens escambium. Has autem donations feci liberas et quietas ab omni servitio, et auxilio, et consuetudine, et ab omni seculari exactione. Et pro his donationibus et quietantiis, dicti monachi dederunt mihi de karitate sua XLII Libras andegavenses et unum equum valentem quindecim libras andegavenses. Si quis igitur aliquid aliquo tempore de predictis terris quacumque occasione exegerit vel reclamaverit, Ego et heredes mei eas per omnia de nostro proprio adquietabimur. Quod ut ratum sit et stabile, Rem gestam presenti page inserere et sigilli mei testimonio confirmare curavi. Testibus his : Goscelino, sacerdote de Alneto – Serlone presbitero de Sto Georgio – Fulcone, diacono de So Georgio, – Radulfo de Buron – Roberto de Corwaudon. – Reginaldo de Corcellis. – Willelmo Larcher.